

1172/07/07.

Mariña Sarraceni e os seus fillos véndenlle ó mosteiro de Toxos Outos unha oitava da igrexa de Sta. María de Urdilde por catro marcas de prata da cóenga, un bo poldro e unha boa vaca.

B.- Tombo, f. 118rv.

De ecclesia Sancte Marie de Vrdilde.

Carta domne Marine Sarraceni de una octaua ecclesie Sancte Marie de Vrdilde.

In Dei nomine. Ego Marina Sarraceni et omnes filii mei nomi<ni>bus Sancius Martini et Petrus Martini et Maria Martini et Marina Martini et omnis uox nostra vobis domno abbati Petro Sancti Iusti de Togis Altis et ceteris fratribus uestris in Domino salutem. Placuit nobis et nostra est uoluntas ut faciamus uobis scripturam firmitatis et cartam uendicionis de VIII^a integra tocuis ecclesie Sancte Marie de Vrgilde cum omnibus suis directuris tam nouis quam ueteris et cum suis omnibus appendiciis ipsis ecclesie ordinatis et pertinentibus et omnibus suis iuribus sicuti in suis testamentis continentur per ubicumque poteritis inuenire hanc VIII^{am} et foris per suos terminos antiquos quam ego Marina Sarraceni et uir meus Martinus Sancii comparauimus de Fernando Patrone et de vxore sua Sancia Adefonsi sicuti in illis scripturis resonat quas ad presens cum ipsa hereditate donamus pro precio quod nobis ad presens pro illa domastis, id est IIIIor marchas argenti canonice et unum poltrum bunum et unam vaccam bonam; et de precio nichil remansit indebito. A modo igitur habeatis predictam VIII^{am} integram predictae ecclesie cum tota illa uoce quam nobis eam vendidit Fernandus Padrom et sicuti ipse eam ganauit de abate Petro et de suis filiis juri perpetuo omnibus temporibus seculorum. Sed siquis homo seu propinquus seu extraneus quicumque fuerit tam clericus quam laycus, potens quam inpotens quodcumque fuerit quod uobis hanc scripturam a nobis spontaneo animo factam et // quod in ea scriptum habetur calumpniauerit pariat in duplo uel triplo et insuper pro ausu temerario exsoluat uobis uel uoci uestre marchas X puri argenti; carta semper in suo robore permanente.

Facta carta uendicionis era M^a CC^a X^a et die nonas julii.

Ego Marina Sarraceni et omnes filii mei supradicti in hac scriptura manus nostras.

Q. p. f.: Pelagius, ts. Arias, ts. Froyla, ts. Ordonius, ts. Johannes, ts. Petrus, ts. Petrus Sarraceni, conf. Froyla, presbiter, conf. Petrus, presbiter, conf. Pelagius, frater, conf. Arias Munionis, conf. Johannes, monachus, conf.

Munio Iohannis qui scripsit firmat in annis.